



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titulus XLVI. De Observatione Jejuniorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)



TITULUS XLVI.

De Observatione Jejuniorum.

SUMMARIUM.

- | | |
|---|--|
| 1. Majoribus Festis pramittitur Vigilia cum Jejunio. | 21. Et cum vigilia aliquando anticipatur. |
| 2. Jejunium vel est Naturale, | 22. Die Dominica Jejunium olim celebratum : |
| 3. Vel Morale, aut omnino Liberum, | 23. Hodie licitum : non tamen etiam in Quadragesima, |
| 4. Vel Ecclesiasticum, exigens | 24. Et istius quatuor primis diebus Martini noli receptum est. |
| 5. I. Delectum Ciborum : | 25. Certis diebus precepta est sola abstinentia à carnibus : |
| 6. Non etiam potus, cibum admixtum non habeat. | 26. Nisi in eos incidat Festum Natalis Domini : |
| 7. Precipue exigit abstinentiam à carnibus, | 27. Quò ad jejunium in dubio non videtur, obstructum voto jejunandi feria sexta. |
| 8. Et iis, quæ sementinam carnis originem habent. | 28. Legem jejunii violans sepe graviter peccat : |
| 9. Hæc tamen in multis locis : | 29. Nisi cum ætas vel infirmitas : |
| 10. Et quorundam animalium carnes ubique conceduntur. | 30. Necessitas vel labor corporalis vel devotio : |
| 11. II. Resectionem unicam : | 31. Consuetudo legitime prescripta, |
| 12. Cujus brevi interruptione, | 32. Vel dispensatio excuset. |
| 13. Et modicissimi cibi sumptione jejunium non solvitur | |
| 14. III. Solam Canationem : | |
| 15. Quæ sumi hodie solet prandij tempore : | |
| 16. Quod tempus sine justa causa nequis præveniri, | |
| 17. Hodie etiam permittitur collatio Vespertina, | |
| 18. Quoad quantitatem & qualitatem moderata, | |
| 19. Et sine justa causa cana non pramittenda : | |
| 20. Variis anni diebus jejunium observatur, | |

Majoribus Domini nostri & Sanctorum Festivitatibus, ad excitandam Fidelium devotionem & ampliore gratiam promerendam, præmitti Ecclesia præcepit Vigiliis & Jejunium, c. Constitutum. si. siye abstinentiam non tantum ab iniquitatibus & voluptatibus illicitis, quod generale, & perfectum jejunium nuncupatur. Augustinus relatus can. Jejunium 24. de Confec. sed etiam à cibis, sive moderato.

derationem & parsimoniam victus in quantitate & qualitate. Quomodo, & non tantum metaphoricè, sed propriè acceptum Jejunium ex communi aliorum sensu Laiman *Lib. 4. Trañ. 8. cap. 5. n. 1.* dividit in Naturale, Morale, Liberum & Ecclesiasticum.

2. Naturale dicitur abstinentia ab omni cibo potusque in stomachum transmissio; cujusmodi jejunium ab exactæ noctis hora duodecima ad celebrationem Missæ & dignam sumptionem SS. Sacramenti Eucharistiæ exigitur à Conciliis, Carthaginensi III. relatò *can. Sacramenta 48. dist. 1. de Consec.* Matiscenensi II. *can. 6. Bracaren. 1. can. 16.* Altisiodorensi *cap. 19. Sc.* & antiquissimâ, atque ab ipsis Apostolis derivatâ consuetudine est receptum, teste S. Augustino *Epist. 118. cap. 9.* & Isidoro de *Divinis Offic. cap. 8.*

3. Morale consistit in abstinentia sive moderatione cibi potusque, secundum leges Prudentiæ, in illis mediocritatem sectantis; ut plus non sumatur, quàm vitæ & valetudinis conservatio requirit; cujusmodi quotidianum jejunium & abstinentia omnibus virtutis Temperantiæ Studiosis commendatur *can. Non dico 17. ann. Sint tibi 19. Sc. 18. dist. 5. cit.*

Liberum vocari potest jejunium, quod secundum rectam rationem ex motivo alicujus Virtutis sine præcepti obligatione suscipitur; cujusmodi à cibi potusque sumptione & delectationibus abstinentiæ modi pro hominum id suscipientium varietate varii sunt & referuntur ab Irenæo apud Eusebium *Lib. 5. Hist. cap. 24.*

4. Ecclesiasticum denique Jejunium appellatur abstinentia à cibo secundum Ordinationem vel consuetudinem Ecclesiæ: consistitque in abstinentia à carnibus, iisque, quæ à carnibus originem trahunt, puta à lacte, caseo, ovis, *can. lin. V. Par au*

tem est, dist. 4. & subtractione prandii, & post cænam cujuslibet cibi usque ad diem sequentem, Panormit. ad Rubric. n. 1. Sylvester V. Jejunium n. 3. Azor p. i. Instit. lib. 7. cap. 8. q. 1. & Laiman cit. n. 1. juxta quam explicationem

Ad jejunium Ecclesiasticum præsentis Rubricæ propositum tria: & primò quidem requiritur delectus Ciborum. Non etiam Potus; quia iste per se non ad alendum corpus, sed ad cibi distributionem & refrigerationem sanguinis ordinatur: & licet aliquando nutriat, id tamen per accidens contingit; neque obest jejunio, prout institutum aut saltem hodie receptum est ab Ecclesia, id quod per se alit & in cibum atque alimentum sumitur, respiciente. Unde vini quæcumque diei horâ moderata sumptio licita hodie est. Immoderata non solius Jejunii Ecclesiastici, sed Temperantiæ quoque legi advertatur, *cit. Azor cap. 8. q. 7. Sc. Scendum & Fagundez de Quarto Eccles. Precepto cap. 2. n. 7. Hodiè*, inquam; quia primis Ecclesiæ seculis Christianos diebus jejunii, præsertim Quadragesimalis, etiam à vino abstinuisse, luculenter docent SS. Clemens *Constit. Apostol. cap. 17.* Cyrillus Hierosolym. *Catechesi 14.* Basilii *Homil. 1. de Jejunio* & S. Augustinus *Serm. 64. de Tempore Sc.*

Alia quàm vini, ratio est lactis, jusculorum, & quarundam aliarum potionum, quæ cibum admixtum & nutriendi vim magnam habent; ideòque in alimentum potius quàm potum & ad levandam sitim adhibentur; tales enim portiones diebus jejunii extra cænam prohibentur, ut cum Paludano *in 4. dist. 15. art. 4. concl. 3.* rectè advertit Azor *Sc. cit.*

Delectus autem cibo um præcipue situs est in abstinentia à carnibus, *can. Statuimus 6. dist. 4. Sc. can. De esu 10. dist. 3. de Consec. quæ semper in Ecclesia observata*

T e t t e

servata

servata, & de jejunii essentia præcipue esse censetur: eamque ob causam illi, cui ratione infirmitatis judicio Medici aut vi privilegii vel dispensationis licitus est usus carniū, etiam comestionem cæterorum ciborum, qui diebus esurialibus aliās prohibiti sunt, & secundam atque ulteriorem refectionem permissam, cum Cajetano 2. 2. q. 147. art. 1. & aliis, probabilius existimant *citt.* Azor *cap.* 10. q. 3. §. Arbitror. & Fagundez *cap.* 2. n. 5. in fine; quod, sublatā jejunii Ecclesiastici essentia, ejus præceptum, & ab isto pendens obligatio cesset, *arg. c. Accessorium 42. in 6.*

Neque obstat; quod ei, cui speciali ejusmodi jure refeccio secunda aut aliorum ciborum, diebus jejunii prohibitorum, comestio permittitur, non hoc ipso etiam usus carniū licitus sit, Azor paulo antè §. *citt.* cum; quia semper major causa exigitur; ut usus carniū, quàm aliorum ciborum prohibitorum aut secunda refeccio permittatur: tum verò; quia ex communi Fidelium sensu ei, cui permittitur refeccio secunda, jejunium commutarum censetur in abstinentiam Ecclesiasticam, carniū esum excludentem.

Præter carnes animalium etiam aliorum, quæ sementinam carnis originem trahunt, ut lactis, butyri, casei, ovorum comestio prohibetur: non quidem, ut aliqui volunt, *can. Presbyter 5. dist. 82.*, quia eò non agitur de Ecclesiastico: sed de severiori jejunio, præter alias gravissimas pœnas præscripto sacerdoti lapsio in fornicationem: sed à Gregorio *can. fin. V. Par autem est, dist. 4.* saltem in Quadragesima secundum Synodi Trull. *can. 56.* & S. Thomam 2. 2. q. 147. art. 8. Consuetudine tamen, propter piscium & olei penuriam recepta in Germaniæ nostræ Provinciis plerisque, ova, butyrum &

cætera lacticia prohibita non censentur.

Non desunt, quin locis, in quibus istorum comestio consuetudine vel privilegio licita est, etiam sagimine & pinguedine è lardo expressâ, anserum aliorumque animalium adipe & sanguine velci permittum, velint cum Glolla in *can. Presbyter cit. V. Sagimine*, Panormit. in 1. *Consuluit 7. de Jure n. 2. Sylvestro V. Jejunium n. 16.* & aliis, Regula in interventibus, cui conceditur usus ovorum, casei &c. intelligitur etiam concessus usus sagiminis seu lardi, *arg. can. cit.* quæ refert Fagundez *citt. cap. 2. n. 20.* & comprobatur Diana p. 1. *Tract. 9. n. 21.* et præcipue inductus ratione; quod pinguedo & similia, licet carni affinia, caro tamen non sint; secundum Aristotelem *Lib. 2. de Generat.* perinde ut ova & lacticia; ac proinde non prohibita sunt, quibus ista sunt permittita. Sed Regula hæc non ita, ut in Physicis, expeditur in Moralibus; cum in his & jejunio præsertim Ecclesiastico spectanda sit constantudo: quæ ovorum & lacticianorum usus introduci potuit, quin permittitur comestio sanguinis, sagiminis & aliorum, quæ inter lacticia cum Philosopho Medicis recensent. In Germaniæ certe nostræ provinciis potioribus, sicut illa licita, sic ista prohibita docentur Magister usu perquam rationabilis; quod, si lardo aliòve animalium adipe & sagimine velci liceret, non leve periculum foret; ne hominum gula ad sanguinis & cætera hæcmina ac juscula carniū paulatim extenderetur, maximò scandalò & jejunii Ecclesiastici detrimentò, ut probè advertit Laiman *Lib. 4. Tract. 8. cap. 1. n. 5.* Unde

Dubium oritur, quorum animalium carnes prohibeantur. Sunt enim, qui Regulam statuant & solas carnes terrestrium sive eorum, quæ diu extra aquam

vivent

vivere possunt, prohibitas: non etiam aquatiliam sive eorum, quæ extra aquam diu vivere nequeunt; hæc enim piscium nomine censerit, eorumque comestionem jejunii & aliis abstinentiæ Ecclesiasticæ diebus licitam, volunt. Sed Regula hæc fallit in limacibus, imò testudinibus: quæ licet extra aquam diu vivant, diebus illis sine scrupulo comeduntur: uti etiam in fulicis & similibus animalibus extra aquam non diu viventibus, quibus sine jejunii violatione nemo vesceretur. Quare hæc in re præ oculis habenda est Ecclesiasticæ, carni um usum vetantis mens, quæ carnes prohibendò fidelibus subtrahere intendit alimenta multum nutrientia, hominumque vires admodum rescientia. Deinde communis hominum existimatio & usus, qui testudinum, imò & limacum comestionem permittit: non etiam fulicarum & similiarum animalium, quæ ut plurimum in aquis degunt.

¶ Alterum jejunii requisitum est unica Refectio sive comestio moraliter continuata: quæ non tam *can. Quadragesima 15. dist. 5. de Consec.* in hanc rem ab aliis allegari solitò, aliòve canone præcepta; cum, qui ejus clarè meminerit, non extet: quàm universali & Apostolis cœvâ consuetudine recepta est, ut cum Sylvestro *V. Jejunium n. 9. observant cit. Azor cap. 9. q. 1. & Lessius Lib. 4. de J. & J. cap. 2. n. 9.* Rationem reddit S. Thomas *q. cit. art. 6.* quòd jejunium introductum sit ad domandum, non destruendum corpus: quod omnino contingit, si cibum bis fumeret solitus, eum semel duntaxat in die fumat; cum corpus non domaretur, si eum fumeret bis: & si nihil fumeret, destrueretur.

Eà autem unicà refectione die jejunii aliquantò plus cibi sumi, intra Temperantiam tamen limites, posse in cœna, quàm alio tempore singulis refectionibus

consuevit, communis sensus est DD. Et, si limites illi, sicut bibendò, sic etiam comedendò excederentur, contra Temperantiam & ferè venialiter, non graviter contra Ecclesiasticæ jejunii legem delinqui, cum Innocent. *sub hac Rubr. sentiunt antè laudati Lessius num. 10. & Laiman, cap. 1. n. 5.* quòd ita excedens revera refectione unicà sit contentus; ac proinde præceptum jejunii non violet: licet agat contra illius finem sive domationem & mortificationem carnis; quia finis præcepti non cadit sub præceptum.

Morali etiam refectionis continuationi non obest, quantumvis à cœna nondum finita quis furgat ad conficiendum occurrens negotium, vg. ad vini, cerevisiæ, mercurii venditionem: eoque confectò post modicum tempus vg. unius quadrantis aut etiam dimidiæ horæ intervallum ad illam perficiendam revertatur; quia ita relectio in communi hominum æstimatione non interrupta, sed eadem censetur: nisi jam sufficienter relectus à cœna surrexisset animò non revertendi: aut etiam sine tali animò surgens post interpositum notabile vg. horà longius tempus amplius comesturus revertetur; quia communi hominum judicio pro duabus, non una refectione habetur; Navarrus *Manual, cap. 21. n. 12. cit. Azor cap. 9. q. 1. in fine & Laiman, n. 6.*

Eadem relectio iterata etiam non censetur Primò in Monasteriis à Lectoribus & Ministris mensæ, si modicum cibi vg. jusculum fumant, cum; quia hoc ad Officium illud melius obeundum conducit: tum verò; quia sumptio illa prævia est quadam inchoatio cœnæ, intercedentis servitii præstatione moraliter non interrumpendæ, *cit. Navarrus n. 13, Azor q. 1. & Laiman, n. 6.* Secundo, præ-

T e t e t 3

dò, præ-

ad, prægustationem ciborum, etiam
diebus jejunii prohibitorum, sumendo-
rum ab ægrotis aut appositorum mensæ
Principis; quia id non ad refectio-
nem, sed ex officio Charitatis aut muneris ra-
tione fit; ne quid malè præparatum æ-
ger, aut toxicum cibis admixtum Prin-
ceps sumat, Fagundez *cit. Lib. 1. cap.*
4. n. 2. Tertio, sumptione modici ci-
bi v.g. boli panis, cum quis extra cœnæ
tempus quacunque de causa bibit; quia
id fieri solet, ne noceat haultus; ac pro-
inde rationem medicinæ potius, quam
cibi habet, etsi per accidens etiam nutri-
at, *cit. Laiman, n. 7.* Quarto, sum-
ptione medicinæ quocunque diei tempo-
re adhibita: imò etiam modici electua-
rii, aromatis, confectiois ex saccharo ad
debilis stomachi confortationem, con-
servationem vocis, aut ex alia simili cau-
sa; quia principaliter, ut medicamenta,
ad naturæ confortationem potius, quam
nutrimentum corporis, ut cibus, sumi
confuevit, S. Thomas *q. cit. art. 6. cit.*
Lessius *n. 10.* & Laiman *n. 7.* Modici
inquam; quia magnâ quantitate sumptû
cibi potius quam medicinæ rationem ha-
bere, & jejunii violationem inducere, eo-
rundem & aliorum DD. communis sen-
tentia est.

Addunt aliqui modici cibi sumptio-
nem, in gratiam hospitis aut amici invi-
tantis & rogantis; ne, si non obsequat-
ur, videatur inurbanus & offendat.
Eam tamen; quòd ab accurata jejunii ob-
servantia alicujus notæ aut amicitia dirim-
endæ periculum non sit, culpâ saltem
veniali non vacare, alii volunt apud *cit.*
Fagundez *n. 3.* & Dianam *p. 1. Traç. 9.*
resol. 29. ipsam ab hujusmodi etiam cul-
pa absolventes.

14. Tertium Jejunii requisitum est; ut
unica refectio cœna sit, non prandium,
juxta antiquum Ecclesiæ morem & mo-

dum loquendi VV. PP. ac DD. Jejuni-
explicantium per prandii subtractionem.
Cœna autem ista non semper eadem hor-
râ sumebatur: & olim quidem extra
Quadragesimam Nonâ, quæ nocte ter-
tiæ pomeridiana respondet; in Quadra-
gesima autem vespertinâ sive inclinante
jam die & solis occalu, ipsaque nocte jam
appropinquante peragebatur, ut ex *can.*
Solent 49. dist. 1. de Conser. S. Benedicti
Reg. 41. & Ivone Carnot, *p. 4. Diver.*
cap. 45. ostendunt *cit.* Azor *cap. 11.*
q. 2. §. Mibi & Laiman *n. 8.* Post-
rioribus seculis consuetudine ad nos
propagatâ introductum est; ut refectio
illa anticipata sumeretur sub meridiem
& ipsam prandii tempus horâ undecimâ
diei: & nihilominus, quasi veteri præ-
dii subtractione remanente, Cœnæ nomen
retineret. Cujus anticipationis ratio
fuit; quòd, humani corporis viribus
cum tempore decretescentibus, debilitate
atque infirmitatibus ingravescentibus,
homines sine refectioe tandem ægetatâ
perleverant, & referendis condicet
laboribus, functionibusque obeundis non
essent pares. Unde

Dubium oritur, an hoc cœnæ tem-
pus Consuetudine ita determinatum sit,
ut nequeat præveniri. Ratio dubitandi
est; quòd ultra id &, jejuniò ad ipsam
noctem extensò, differri cœna sive refe-
ctio illa pro cujusque arbitrato possit, ex
Navarri *Manual. cap. 20. n. 27.* Sylv-
stri *V. cit. n. 14.* & hoc teste unanimi
sententiâ DD. ejusque dilationem lauda-
bilem piâque censet *cit.* Fagundez *cap.*
3. n. 5. Cur non etiam illa diei hora
valeat præveniri? Sed alia ratio est dil-
ationis, quam præventionis; quia per il-
lam acceditur ad primævam jejunii insti-
tutionem, & ipse ejus institutionis fines
magis obtinetur; cum refectiois dil-
atione inedia & corporis afflictatio pro-
ductio

ductior & gravior evadat secus, quam accidit per preventionem. Unde usu præscriptæ horæ præventio, absque iusta causa facta, culpâ nequaquam vacat: imò, si notabilis v.g. duarum aut unius etiam horæ esset, graviter peccaminosa foret, ex mente *citt. Azor q. 4. in fine & Fagundez n. 4.* à peccato eum duntaxat absolvendum, qui ante præscriptam horam cenaret ex iusta causa v.g. itineris, adventus aut discessus hospitis, habendæ Concionis vel Lectionis aut negotii conficiendi.

17. Occasione Consuetudinis, quâ anticipari Cœna & ipso prandii tempore sumi capit, etiam introducta est Collatio sive refectiuacula vespertina; quod homines, si post refectioem tam matutam totò reliquò die ab omni cibo esset abstinendum, difficulter noctu caperent somnum & periculum esset; ne potus, quem sitis levandæ & sanguinis refrigerandi necessitas posceret, valetudini facile noceret. Ea tamen Collatio, ne ad cenam propius accedat, valde moderata esse debet; & in quantitate ita esse sollet; ut, licet in omnibus modica, infirgioribus tamen major quàm in calidioribus regionibus concedatur: & ipsâ jejunium non violari existimetur; cum cibi eâ sumpti quantitas ordinariæ refectiois partem quartam notabiliter non excedit: quod Regulæ instar cum Reginaldo *Prax. Tom. 2. Lib. 14. n. 185.* tradit *citt. Laiman. n. 9.* Unde ulterius nec male inferitur, sicut in Cœna non eandem quantitatem omnes exigunt & observant, sic in Collatione illa quibusdam v.g. debilioribus majorem quantitatem sumere solitis aut frigidiores regiones incolentibus plus: aliis, puta valentioribus, aut calidiores terras incolentibus minus licere. In Pervigilio Nativitatis Domini amplius aliquid & ferè refectiuacu-

lam duplicatam permittit usus introductus; quòd eâ nocte Fideles omnes vigilent, & in templo interessent Officiis Divinis. Idem in quibusdam provinciis receptum est in Pervigilio Paschatis propter Dominicæ Resurrectionis solennitatem, quæ olim & alicubi hodie quoque mediâ nocte celebratur, *citt. Azor cap. 5. q. 8. Fagundez cap. 4. n. 19. 20. & Diana p. 5. tract. 5. resol. 12.*

De Qualitate Cajetanus *V. Jejunium, cap. 1. in fine*, non referre, ait, quid quisque sumat, si modum non excedat. Sed contra communem Fidelium persuasionem & sensum aliorum DD. non indiscriminatim quoscunque, sed præter fructus arborum herbas aliòsque leviores cibos permittentium panem & bellaria: quibus *Azor citt. cap. 8. q. 7.* pisciculum parvum superaddit. Non etiam placetas aliòsque cibos solidiores. Cæsum tamen in Germania nostra aliòsque regionibus Septentrionalibus ob minorem bellariorum copiam permittit Consuetudo.

Dubium hic DD. movent, an ordine mutato collatio sive refectiuacula illa circa meridiem, cenâ ad occasum solis dilatâ, sumi possit. Exigente aut suadente iustâ causâ, v.g. itineris aut alicujus negotii conficiendi & præsertim superioris autoritate accedente eam mutationem licitam, omnes: aliqui etiam, ejusmodi causâ cessante, permissam volunt; quòd, cum jejunium Ecclesiasticum hodie unicâ cenâ & unicâ collatione constet, eâ mutatione ejus substantia non mutetur. Frequentiori tamen & saniori calculò alii talem ejus Ordinis mutationem à veniali culpa non excusant; quòd, sicut collatio, sic etiam ejus sumendæ tempus approbatum sit Ecclesiæ consuetudine ferè universalî: à qua sine iustâ & rationabili causâ factus recessus à temeritatis vel levitatis nota; ac proinde ab omni

ab omni culpa immunis non censetur, *citt. Lessius n. 12. Fagundez cap. 4. n. 16. & Laiman. n. 10.*

20. Porro, quibus anni diebus jejunium Fidelibus ab Ecclesia præceptum sit, desumendum potissimum est ex usu seu consuetudine: quâ ferè Magistrâ Primâ à carnibus &c. & secundâ refectioe tota ferè Ecclesia abstinet à feria quarta Cinerum usque ad Sabbathum sanctum inclusivè, diebus duntaxat Dominicis (non etiam aliis Festivitatibus) exceptis: Feriâ quarta, sextâ, & Sabbatho quatuor Temporum; in Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecostes, Assumptionis B. M. Virginis, SS. Apostolorum (præterquam SS. Philippi & Jacobi ac S. Joannis Evangelistæ) S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii M. & Sanctorum omnium, *citt. Laiman cap. 2. à n. 1. & Fagundez cap. 5. § 6.*

21. Secundò Jejunia Vigiliarum, cum hæc incidunt in diem Dominicam, non istâ, sed Sabbatho antecedente observantur, juxta c. 1. Quin Vigiliam S. Mathiæ Apostoli, cum in feriam secundam vel tertiam Quinquagesimæ incidit, in præcedentis Sabbathi diem transferendi potestatem Episcopo cum *citt. Laiman. cap. 3. n. 8. in fine, adstruit Engel ad hanc Rubr. n. 1. si, id feriis illis à paucis observandum, prævideret. Unde*

22. Dubium oritur, an ergo jejunium die Dominicâ illicitum sit. Per se id illicitum non esse, constat *arg. c. fin. ubi volentibus, imò & voventibus, ac proinde tanquam majus bonum quàm carnium comestio est, abstinencia ab illis (cur non etiam jejunium ?) eâ die permittitur. Per accidens autem id vetitum olim fuisse, luculenter docent textus *can. Post Pascha 10. dist. 76. can. Placuit 8. can. Ne quis 14. Et. dist. 3. de Consec. & can. Quadragesima 15. dist. 5. de Con-**

*sec. Ratio prohibitionis fuit partim læticia concepta ex memoria Resurrectionis Domini, à qua illa dies nomen accepit; neque enim cum festivæ illius diei publicâ hilaritate, jejuniò se macerantium squalor & poenitentia videbatur convenire, ut Petr. Damiani *Opus. 55. cap. 5. & post eum S. Thomas cit. q. 147. art. 5. advertunt: partim verò & præcipuè; ne Ecclesia communicare aut saltem idè sentire videretur cum Hæreticis, ex quibus die Dominicâ Montanista ex superstitione: Manichæi ex errore; Ariani ex contempu jejunabant, ut insinuatur *can. Si quis tanquam 7. Canon. fin. dist. 30. can. Sacros 26. q. 7. 8. Barbofa in *can. Si quis cit. n. 2. Unde Hæresibus illis cum tempore extirpatis, & sublatò cum ipsis scandalo Fidei, ea Ecclesiæ prohibitio cessat; ut, sicut à quibusdam Regularibus abstinencia à carnibus, ita saltem privata devotioe etiam jejunium observari hodie potest *arg. c. fin. cit. cum Bellarmino Lib. 2. de Bonis Operibus in particulari cap. 3. cetera set Laiman. cit. cap. 2. n. 9.*****

Tertiò, si non ante & in tota Ecclesia, saltem à temporibus S. Ambrosii, Quadragesimam eâque præscriptum jejunium Mediolanenses inchoant à prima ejus Dominicâ, exclusò quatuordecim præcedente teste, ipsomet S. Illo Ecclesiæ Doctore *Serm. 34. qui est de Quadragesima.*

Quartò feria sextâ ob memoriam Passionis Domini & Sabbatho in honorem B. Virginis, & in quibusdam locis etiam tribus diebus Rogationum à solis carnibus, & diebus Dominicis in quadragesima ab iisdem & aliis cibis, quorum usus vernò illo jejuniò interdictus est, etiam à secunda refectioe abstinendum, *Laiman. cit. n. 1. & 8.*

Quintò in Festo Nativitatis Domini, etiam

ai, etiam cum feriâ sextâ vel Sabbatho occurrit, carnibus vesci consuevimus, more ab Honorio III. *c. fin.* approbatò, propter excellentiam Festivitatis & diei omnium felicissimâ, quâ Verbum Caro factum ex B. Mariæ Virginali utero prodit, & orbem universum novæ lucis & optatæ pacis serenitate æternæque salutis spe de cælo recreavit, Gonzalez *in c. 1. cit. n. 1.* Unde

Dubium oritur, an vovens jejunium die Veneris id observare etiam teneatur, quando in hunc diem incidit Festum Nativitatis Domini. Cujus Resolutio, meò quidem iudiciò, pendet ab intentione voventis: qui, cum ad jejunium illud votò se obligare potuerit, ut clarè supponitur *c. fin.* prout intentione suâ id comprehendit vel excludit, ad jejunium eò die obligabitur, vel ab eo immunis erit.

27. In dubiò autem de intentione voventem à jejunio eò die cum Joan. Andr. *in c. fin. cit. n. 4.* illum absolvunt Molina *Tract. 2. de l. & l. disp. 272. n. 3.* Azor *p. 1. Inst. Lib. 2. cap. 20. q. 3. cit.* Fagundes *cap. 6. n. 6.* Diana *p. 1. Tract. p. resol. 22.* & alii, eâ permoti ratione, quòd, cum de voventis intentione non constet, votum interpretationem accipiat ab usu seu moribus Ecclesiæ, ex doctrina Suarez *Tom. 2. de Relig. Lib. 4. cap. 7. n. 9.* Ecclesiæ autem moribus feriâ sextâ, cum in eam Natalis Domini incidit, neque jejunium neque à carnibus abstinentia observetur, *c. fin. cit.* Quæ Opinio non parùm confirmatur paritate voti jejunandi pridie alicujus Sancti: cujus dies pridianus, cum Dominicus est, vovens non istò, sed præcedente Sabbathi die jejunat, juxta morem Ecclesiæ & textum *c. 1. hæc Rubr.* Accedit; quòd in generali promissione in dubiò contineri non censentur, quæ; si alicui specialiter fuissent propòsita, verissimiliter non

promissa, sed excepta fuissent, *c. fin. de Offic. Viscar. in 6. & l. Obligatione 6. ff. de Pignoribus*: quod de sic vovente in dubiò præsumi potest.

Neque adverteatur; quòd vovens nunquam vesci carnibus, his vesci etiam nequeat die Nativitatis, secundùm Glossam *in c. fin. cit. V. Voto*, idque constat ex praxi Minorum, cum dies Nativitatis Domini feriâ sextâ occurrit; quia tales ad abstinentiam à carnibus ultra Ecclesiæ morem observandam se specialiter obligasse censentur. Accedit; quòd non desunt Religiosi alii, qui Natalis Domini die in Dominicam incidente comedant carnes, quibus aliàs vi Regulæ totâ vitâ non vescuntur.

Diebus autem ab Ecclesiâ præceptis usive receptis Fideles quidem ad Jejunium ex unanimi sententia DD. graviter & sub peccato mortali (nisi eos materiæ parvitas excuset) eò tamen rigore non obligantur; ut ab ejus observatione ex variis causis non eximantur. Cujusmodi sunt Primò Ætas tertio septenniò sive viginti & unò annis minor, secundùm S. Thomam *q. cit. art. 4.* & Ordinariè nonò septenniò sive sexaginta aut saltem septuaginta annis maior, secundùm communiorum sententiam, teste *cit. Azor cap. 17. q. 4.*

Secundò corporis Infirmetas, *can. Quadragesima cit. ibi, Nisi quem infirmitas impederit & c. Consilium 2.* ratione cujus Jejunii Lege soluti sunt non solum, qui ex morbo decumbunt aut graves dolores patiuntur, sed etiam convalescentes & alii, qui debili sunt complexionem vel ex stomachi vanitate laborant vertigine, aut somnù capere non possunt, Uti etiam prægnantes, lactentes & qui medici iudiciò cibò fortiori aut frequentiori refectioe opus habent, secundùm S. Thomam *in 4. disp. 15. q. 3. art. 2.*
Uuuuu
quæstione.

questiunc. 4. Navarrum Manual. cap. 21. n. 16. cit. Azor q. 5. & Fagundez cap. 8. n. 12.

50. Tertio Necessitas, proveniens ex paupertate, c. *Consilium cit. ibi, Propter inopiam carnes comedere sunt coacti*: ratione cujus jejunii legibus non adstringuntur, qui victum colligunt ostiam mendicando & universim, quibus non suppetit cibus sufficiens ad unicam congruam refectionem: ut qui non habent nisi duos vel tres seviore cibos, v.g. osam cum olera vel pulmento, S. Thomas & Navarrus *ibidem, cit. Azor q. 6. & Laiman. n. 3.*

Quarto Labor corporalis: ratione cujus à jejunio excusantur agricolæ, fabri ferrarii & lignarii, feriniarii, cursores viatores & alii, quorum opificium, ars, functio aut iter graviolem exigit laborem, Sylvester *V. Jejunium, n. 23. cit. Navarrus n. 19. & Azor q. 8.*

Quinto Pietas, sive exercitium operis Misericordiæ corporalis vel spirituales: quæ ab accurata observatione jejunii eximit infirmarios, concionatores ter aut sæpius in hebdomada ad populum dicentes, Professores Scholarum inferiorum: & superiorum etiam, quando lectiones & alias exercitationes literarias, ut in Universitate nostra Professores Jurium in hebdomade sæpius habent. & alii, obeuntes officia, quæ vi ingenii & assiduo labore perficiuntur, Laiman. *cit. cap. 2. n. 3. §. Quarta & Tamburinus in Decalog. Lib. 4. cap. 5. §. 7. n. 26.*

61. Sexto Consuetudo, ut pluries est insinuatam; cum ea non tantum certo aliquo tempore vel die novum jejunium induci, & ante inductum indictumve in diem vel tempus aliud transferri, sed mitigari aut omnino abrogari valeat, ut in c. *Consilium cit. Glossa V. Consuetudinem, Paanormit. n. 5. & Hostiens. in Summa*

n. 5. advertunt. Unde tamen non recte infertur, Consuetudine omnino abrogari posse Quadragesimale & alia jejunia lœlennia; cum enim ista ad exemplum Christi in deserto, ad veteris legis Patrum imitationem aut ex alia simili gravissima & in legis Evangelicæ doctrina fundata causa ab ipsis Apostolis instituta aut generalis observantiæ stabili usi recepta sint, non apparet, quæ ratione ad eorum omnimodam abrogationem recedens consuetudo esse possit rationabilis quod ad hanc omnium maxime exigitur c. *fin. de Consuetud.*

Septimo demum Absentia à loco jejunii, arg. c. *fin. de Consil. in 6. R. Dispensatio, non tantum à Papa, sed etiam ex justa causa ab Episcopo vel Capitulo sede vacante, & ex utriusque commissione à Vicario generali & Penitentiario impetrata. Uti etiam à confessoribus aliisque viris doctis, munitis dispensandi privilegio vel commissione; cum sine his nullam dispensandi, sed solummodo, an lex jejunii certo aliquo casu obliget, vel dispensationis petenda iusta causa adsit, declarandi habeant potestatem. Qua de re latè *cit. Azor cap. 18. à q. 2. Fagundez cap. 8. & Tamburinus §. 7. à n. 52.**

Dixi, *Ex justa causa*; quam, ut eorum quocum in Jejunii lege dispensatur, in conscientia eorum reddat, veram aut saltem rationabiliter existimatum esse, esse necesse, per tradita *Lib. 1. Tit. 2. à n. 166.* Quantumvis etiam minor & privata sufficiat; ut cum uno vel paucis; major tamen & publica causa exigitur; ut cum tota aliqua communitate in lege illa dispensetur, ut rectè observat Laiman. *Tract. cit. cap. 3. n. 8. in fine.*

¶ (0) 50

TITU.